

De Velo, quod distinguebatur Sanctum Sanctorum, loquitur Iosephus lib. 6. de bello Judaico cap. 6. Velum Babylonicum hyacintho, & lisso, & cocco, & purpura, variatum, mirabili opere factum. Et deinde aliud Velum nominat, a priori omnino distinctum. II. Origenes tract. 75. in Matthæum expresse dicit, duo in Templo fuisse Vela, addens, hoc debere esse fati cognitum omnibus, qui Scripturas non negligenter intelligunt: Duo esse Vela; unum quidem interius, quod velat Sancta Sanctorum; alterum autem exterius, sive Tabernaculi, sive Templi, quæ figura erant Tabernaculi Sancti, quod præparavit ab initio Pater. III. Hieronymus epist. 150. ad Hedibiam memorat primum Velum exterius, & alterum, quod interius Velum appellat, Quodnam ex his Velis scissum fuerit, expresse definitum non invenimus; quanvis aliqui ex Patribus dicant scissum extimum, non intimum, alii vero dicant, intimum, non extimum. Primum asserit Origenes loco citato: Duorum Velorum Templi unum scissum est in duas partes a summo usque deorsum, quando voce magna clamans Jesus, emisit Spiritum, hoc ostendens, sicut puto, mysterium: quoniam in Passione Domini Salvatoris Velum, quod erat a foris, consissum est a summo usque deorsum; ut ab initio mundi usque ad deorsum, id est, usque ad finem ejus consisso velamine mysteria publicentur, quæ usque ad Christi adventum rationabiliter fuerunt occulta. Et nisi ex parte cognoscere, sed jam nunc manifestarentur omnia, adhuc in corpore constitutis dilectis Christi Discipulis, utrumque Velum fuerat conscindendum: id est, quod a foris est, & interius. Nunc autem, quoniam ad scientiam rerum novarum producimur, ideo quod a foris quidem fuerat Velum, interim conscinditur a sursum usque deorsum; ut quando venerit, quod perfectum est, & revelata fuerint cætera, quæ restabant, tunc auferatur etiam secundum Velum: ut videamus etiam, quæ intra secundum Velum sunt occulta, veram Arcam Testamenti; & sicut ipsa se habet natura, videamus Cherubin, & Propitiatorum verum, & repositionem manna in aureo vase, & omnia manifesta, atque majora illis, quæ per legem Moysi fuerant demonstrata, in quibus dixit Deus ad eum, facias omnia secundum formam eorum, quæ tibi ostensa sunt in monte. Et Hieronymus loco citato: Querendum quod Velum Templi scissum sit, exterius, an interius? Mibi videtur in Passione Domini, illud Ve-

lum esse consissum, quod in Tabernaculo, & Templo foris positum fuerat, & appellabatur exterius, Quia nunc ex parte vidimus, & ex parte cognoscimus: cum autem venerit quod perfectum est, tunc, & Velum interius dirumpendum est: ut omnia, quæ nunc nobis abscondita sunt, domus Dei Sacramenta videamus. Qui vero volunt Velum intimum scissum, sunt Leo Magnus serm. 10. de passione, Cyrillus Alexandrinus in cap. 19. Joannis, Euthymius in Matthæum, &c.

Ad III. Quæsitum respondet Origenes, quod de his aliis prodigiis idem dicendum est, ac de tenebris factis. Hæc sunt verba Origenis tract. 35. in Matthæum: Arbitror ego, sicut cætera signa, quæ facta sunt in passione ipsius, in Jerusalem tantummodo facta sunt; sic & tenebra tantummodo super omnem terram Judæorum sunt factæ usque ad horam nonam. Quod autem dico in Jerusalem tantummodo hæc facta sunt, quod Velum templi scissum est, quod terra contremuit, quod petra disrupta sunt. Nec enim extra Judæam petra disrupta sunt, eorum monumenta aperta sunt alia, nisi ea tantummodo, quæ in Jerusalem erant, aut forte in terra Judææ. Nec alia terra tremuit tunc, nisi terra Jerusalem. Nec enim refertur alibi, quod omne elementum terræ tremuerit in tempore illo; ut sentirent, verbi gratia, & qui in Æthiopia erant, & in India, & in Scythia. Quod si factum fuisset, sine dubio inveniretur in Historiis aliquibus eorum, qui in Chronicis scripserunt nova aliqua facta. Rationibus etiam probatur I. Mortui, qui resurrexerunt, Ierosolymis apparuerunt: ergo prodigia, de quibus loquimur, Ierosolymis, vel in finitimis locis, quæ intra Judæam sunt, evenerunt. Probatur antecedens Matthæi 27. v. 53, legitur: Exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in Sanctam Civitatem, & apparuerunt multis: ergo monumenta erant, vel in Sancta Civitate, vel in locis finitimis ad illam. Consequentia sequitur, quia si fuissent in locis longinquis, oportuisset per aera Ierosolymam novo portento deventre, quod Matthæus propter miraculi celebritatem silentio non præterisset. II. Si hæc portenta in aliis terrarum partibus visa fuissent, Scriptores exteri non tacuissent; sed tacuerunt: ergo signum est, quod inibi non evenerunt. III. Portenta illa facta sunt a Deo in judicium sceleris poenam: ergo Judæam non exceperunt. Ad Quæsitum IV. primam partem dicimus, quod